

jalia et reliquorum singulo Anno domino Terrestri ex antiquo usu et consuetudine per subditos administrari debent, hi pariter post seriem Robotae ad distinctas columnas exponantur. Post haec

Quarto. In fine columnarum quilibet Dominorum Terrestrium, post conclusam seriem Robotae et fixorum censuum, modo praevio columnatim exponendorum, in forma appendicis exponat paragraphaliter, quid singuli Domini Terrestris subditi titulo extraordinariorum Laboratorum suo Domino Terrestri ab olim et antiquo praestare obligentur, quales item ultra extraordinariam Laboratorum obligationem alias etiam obligationes et servitia habeant? et quia

Quinto in aliquibus Dominiis ab olim et ex antiqua consuetudine solerent praestare subditi suis Dominis Terrestribus omnis generis frumenti, atque procreationis, vini item et alvearium, nec secus etiam majalium, et reliquorum Decimam, adeoque necessum est, ut haec etiam in forma appendicis sub finem columnarum inter alias obligationes inserantur: Haecque omnia prouti etiam legitime confecta Urbaria, Judiciales praeterea decisiones, in Terminis eatenus pro diversitate temporum atque locorum praefigendo, Deputationi exhibeantur.

Sed et occasione eadem, complurimis Dominis Terrestribus id referentibus, quod eorundem subditi suas expositiones coram Commissione Regia factas, partim qualificent, partim revocent; et comperto etiam eo, quod ex illis, qui per ipsam Commissionem Regiam pro confrontatione et corroboratione primaevae expositionis citati sunt, multi non comparuerint, pro clarificatione addenda censebantur adhuc puncta sequentia

Primo. Ut praelibati Judices et Vice-Judices interogent, an aliqui ex comunitate hacce N. N. missi fuerint ad Commissionem Regiam.

Secundo. An singulatim puncta querimoniarum ex scitu et annutu comunitatis processerint? post haec

Tertio. Praemoneant Dominia Dominosque Terrestres de excipiendis gravaminibus, coram Commissione Regia contra se per subditos expositis, quae in domo Regnicolari quotidie ab hora 9. usque ad 12. dictabuntur. Item ut eadem Dominia Dominique Terrestres probis praestationes Rusticorum liquidantibus omni modo se provideant, alioquin in defectu talium probarum ad classem eorum ponendi, qui in sui favorem nihil producentes adeoque ab omni abusu strictissime arcendi specialiter connotabuntur.

Quarto. Observandum etiam habebunt Domini Judium et Vice-Judium, ut erga requisitionem Dominorum Terrestrium (de qua per eosdem Judium et Vice-Judium Domini Terrestres praemonendi erunt), convocatis communitatibus, conficiant scriptum ipsis perlegendum continens praestationes Subditorum, suis Dominis terrestribus pendendas, quod scriptum in facie loci authenticare non oportebit, sed sufficiet, ut in Presentia personae cujusdam Magistratualis denominentur aliqui per communitatem deputandi, hoc scriptum toti Communitati in facie loci perfectum Zagrabiam allaturi, idque Testimonio autentico comprobaturi, quod per Communitatem huc sint missi.

Quinto. Siquidem Domini Magistratuales sufficere non possint in omnibus partibus, signanter in majoribus Dominiis conficere conscriptionem Urba-